

gè omnium maximum, & gravissimum, quam non solum ad hunc locum, sed etiam in *Homil. 93. super Lucam* pluribus prosequitur; Unde patet, non de virtutibus & miraculis Christi *solitariè* illum intellexisse hanc pericopen, sed & de *Evangelio ab eo annunciatò*. Consentit *Fr. Spanhemius* exerc. de Grat. Sect. 30. per *Virtutes apud Corazinos, & Bethsaidenses factas intelligi simul verbum, & ejus paterfactionem ex eo patet, quod illius Veritas obsignaretur miraculis. Ubi itaque edebantur Virtutes, ibi etiam predicabatur verbum; paulò post; Dominus non de nudà prædicatione verbi, sed de prædicatione obsignata Virtutibus, sive miraculis loquitur.* Præsuppositis his & in antecessum præmissis, de verbo quoq; à Christo apud Galilæos prædicato. *b. l. agi, ipsa verbi per Christum insinuati natura* se offert tanquam medium aliquod ex ordinatione divinà efficacissimum, ad opus conversionis producendum, nec enim dicendum est, *objective solum* Christum repræsentasse & intimasse Galilæis, quid facere debeant, sed ipso hoc verbo, quod prædicavit, tanquam medio ordinario eum *pœnitentiam operari & fidem conferre* voluisse, hocque ipsum serió intendisse, ita ut effectus ipso actu fuisset insecutus, modo Galilæi verbo non restitissent. Nascitur inde nobis argumentum.

XVI.

Quocunque medio adhibito, adminiculantibus licet, & in subsidium quoddam vocatis miraculis, Christus voluit convertere Chorazitas & Bethsaiditas, ita ut conversio fuisset secuta, si non spontaneâ vocatorum obstitisset repugnantia, ab illo medio proximè dependisset pœnitentia Tyrriorum & Sidoniorum, si virtutes Christi vidissent; Atqui *verbo prædicato*, adminiculantibus licet miraculis, Christus voluit convertere Chorazitas & Bethsaiditas. &c. E. Major proposito subministratur ab ipso Christo, qui comparisonem ideo instituit inter Gentiles istos & Judæos, ut demonstraret, eo medio adhibito pœnitentiam gentilium ipso actu locum fuisse habituram, modò sub tali ubertate adnotum fuisset iisdem, quo tamen adhibito Galilæi minùs fuerint conversi. Minor patet ex *sine miraculorum* superiùs jam tacto, cui & hoc accedit, conversionem & pœnitentiam *effici aliàs ab ipso verbo, nullis sub-*
junctis